

Kern / 3494

(1 - 19)

14  
DE  
SIGNIS MORBORUM,  
QUAE  
EX LINGVAE HABITU  
PETUNTUR,

---

CONSENSU FACULTATIS MEDICAE  
HALENSIS,

PRAEMISSA

SOLEMNI AD THESES QUASDAM MEDICAS  
DISPUTATIONE,

PRO

GRADU DOCTORIS MEDICINAE

DISSERIT

JOANN. CHRIST. BENJAM. EICHNER,  
NEOFORO-SILESIUS,

---

HALAE,  
IN OFFICINA BATHEANA.

DE  
SIGNIS MORBORUM

EX LINGUARUM HABITU  
PASTOR

ICOM MORBORUM

CONSENSU PASTORIS MEDICAE  
EX LINGUARUM HABITU

SOLUS ANTIQVVS CASPAR MEDICVS

GRAND DOCTOIS MEDICINAE

JOHANNES CHELT. BOHEMVS. ENNERVS



---

DE  
SIGNIS MORBORUM,  
QUAE  
EX LINGVAE HABITU PETUNTUR.

---

I.

Linguam aegrorum inspicere, ut inde vel speciem morbi, vel exitum ejus praedicant, medici nostrorum temporum magis fere confuerunt, quam veteres: neque petulanter mihi loqui videor, dum paucos tantummodo recte scire dicam, quid in lingua praesagii aut diagnoseos sit reperiendum. Auditur enim quotidie vulgarium medicorum judicium de fordido linguae velamento, quod cum fordibus primarum viarum intime cohaereat, atque eas ubique designet: auditur saepius sententia de turgentibus in ventriculo fordibus,

quae faciem linguae occupent, eructatae e  
cardia. Nonnunquam quoque praecipiuntur  
de coloribus velamenti linguae, quae nullo  
modo cum ratione consentiunt.

## 2.

Haec utique merentur sedulam inquifi-  
tionem, quae eo curatius instituenda, quo  
majoris momenti sunt ea signa, quae ex lin-  
gua petuntur, vel ad morborum species diju-  
dicandas, vel ad finem morborum praenun-  
tandum. Viam autem, qua id inquirere  
poterimus, praemunire nobis debet doctrina  
de usu partium corporis humani, ac ipsa ana-  
tomica disquisitio, ut, qua demum ratione  
forma et habitus hujus organi, in statu mor-  
bofo alienatus, internos corporis adfectus in-  
dicare possit, pateat. Etenim hoc duntaxat  
modo rationalis stabilitur doctrina de signis,  
si significatus argumenta rationesque probe  
indigitantur ex physiologia et pathologia,  
quum, hoc neglecto ratiocinio, semiotice nil  
sit, nisi adfertorum farrago, fide auctorum  
sola nitentium.

## 3.

Est vero lingua organum musculofum, quod musculorum ope et loquelaе et degluttoni infervit. Musculi autem tres utraque parte linguam formant: nimirum genio-glossus, qui, e mento originem trahens, linguam ad dentes introrsum cogit; styloglossus, e processu styliformi ossis temporum oriens, qui linguam ad latera cogit, marginesque ejus ita attollit, ut cava reddatur superior linguae facies: denique hyoglossus (in tres iterum partes a quibusdam divisus, basioglossum, chondroglossum et ceratoglossum), qui, ab osse hyoide originem ducens, fibris suis terminalibus maximam partem abit in muscolum lingualem ALBINI ac retrahendae linguae detrahendaeque infervit. Facultatem agendi his musculis imperant frondes ejus nervi, qui, hypoglossus seu lingualis medius dictus, ex posteriore cerebri parte, inter corpora olivaria et pyramidalia oriens, foramina condyloidea anteriora transit, eaque ratione connubium iniens cum variis vicinis nervis, in linguam funditur.

Lingua deinde est organum gustui praecipue dicatum, qui sensus in ea praecipue residet, quamquam a veritate haudquaquam alienum sit, sapores magis efficaces, praeter linguam, quoque palatum, labia ac ipsas fauces adficere <sup>1)</sup>). Eam facultatem primitus repetere licet ab alio nervo qui praeter hypoglossum, linguam adit, gustatorio puta, tertio ramo quinti paris. Is enim foramen ovale offis basilaris transiens, opertus musculo pterygoideo externo, abit in ramos massetericum, temporalem, buccinatorium, maxillarem inferiorem, et demum in lingualem, qui tum musculos linguae adjacentes, tum glandulas salivales, tum praecipue linguam adoritur. Propriorem vero gustus officinam sistunt papillae et coniformes et fungiformes, obtusae, nervorum et vasculorum numerosorum congerie praeditae: nervorum quidem fibrillae saepe quinque aut sex unam adeunt papillam, arteriarum autem et venarum copia nervorum numerum fere aequat. Inter eas papillas villi plurimi excretorii in lingua

1) BELLINUS de gustus organo, p. 226.



hiant, mere arteriosi, omnino ut in intestinis, quibus saliva tenuis exhalatur.

## 5.

Est itaque lingua et organum secretorium, quod, corpore bene valente, continuo humorem tenuem e sanguinis massa separat, quo et eae particulae ciborum et potulentorum, quae per se nimis acres papillas nerveas offendunt, dilutae mitigantur, ipseque saporis sensus promovetur, quum aridi nervi et sicci haud facile sensum praebere possint. Is quidem latex separatur tum villis excretoriis arteriosis, modo dictis, tum in glandulis simplicibus, oblongis aut haemisphaericis, quae numerosissimae inter carnem linguae et involucri exterioris, ad partem ejus organi superiorem et posteriorem, ad latera linguae, et ad partem radice inferiorem, inveniuntur. His praefertim praebetur ejus mucii copia, quo involucri linguae naturale, crassum, viscosum, papillarum levibus impressionibus signatum, formatur. Ea involucri linguae fabrica, aliena omnino a reticulari epidermide, quam in brutorum lingua observamus, ab ALBINO

primo inventa<sup>2)</sup>), manifesto efformatus mucō glandularum et humore villorum arteriosorum, qui coctus in membranæ speciem abit<sup>3)</sup>).

## 6.

Secretio autem laticis naturalis ac mucī, qui linguam investit, repetita primitus ab arteriæ lingualis ramis, ac moderata vasīs lymphaticis, in glandulas lymphaticas abeuntibus, quæ juxta glandulas salivales positæ sunt, secretio ea in ratione quadam ad alias aliorum organorum secretiones esse videtur. Siquidem æterna lege sanctus est consensus quidam ac conspiratio inter organa præcipua secretoria, ut alterum alterius vices gerere possit, continua appareat ratio inter eadem. Qui quidem consensus nervorum nexu ac coherentia quandoque declarari potest, nonnumquam vero omnia conata nostra eludit. Exploratum autem habeo, eum consensum secretionis vel maxime conspicuum esse in lingua, respectu functionis fecernendi humores, ac explicari posse eundem hic

2) Adnotat. academ. lib. III. p. 92. 92.

3) WINSLOW traite de l'anatom. Vol. II, n. 529.

quidem optimo modo ex connubio nervorum, qui linguae provident, cum aliorum organorum nervis. Etenim et hypoglossus, qui linguam movet, protinus ut e foraminibus condyloideis prodiit, ad par vagum accedens, filamenta plura ex eo recipit; deinde quoque cum nervis cervicalibus arctum init connubium; et gustatorius, cum quinti paris, sympathici, ramus sit, consensum eum exponere potest, chordam tympani ex nervo faciali recipiens, ac cum hypoglossa intra linguam filamentis conjunctus.

## 7.

Hinc quidem fieri videtur, ut linguae mador aut siccitas, facies quoque ejus ex toto respondere soleat organis aliis, secretioni dicatis. Ubi enim lingua madet, ibi et secretiones cutaneae rite perficiuntur, ibi et aliorum organorum vasa secretoria officiis suis bene fungi videntur. En normam ac legem, quam secuturi exponere audemus significatus rationem in signis, quae e linguae habitu petuntur! Ubi secretio laticum in linguae facie omnino deficit, colorem adipiscitur plerumque praerubrum atque exarescit, saepiuscule

vero nigrum aut lividum apparet ejus velamentum. Nonnumquam, ubi siccitas haec intenditur, aspera fit ac scabra, aut finditur lingua. Aucta autem secretionem lingua vel madida fit vel fordida; hae vero fordes pro differentia secretionum in aliis organis, modo albidae sunt; modo cinereae, modo flavidae, modo bruneae; aut differunt ratione cohaerentiae, modo tenaces enim sunt, aut caseosae, modo flaccidae ac fluidae. Nonnumquam secretio ea universam occupat linguam; interdum quasdam duntaxat partes, ut vel apex linguae liber sit, radix vero mucō obtecta, vel parietes sicci, media autem lingua fordida, vel hic illicve maculae appareant, mucō glutinoso vestitae.

## 8.

Eae autem fordes plerumque ad ventriculum referri solent, malo certe ratiocinio, quum et alia organa simili plane consensu cum lingua gaudeant, nec proxime e ventriculo fergant, sed secretionem consensuali e sanguine fecernantur. Quae quidem secretio consensualis metastases ac dictas olim migrationes humorum ex alio loco in alium optime ex-

ponit, quum neque in aliis organis viae pateant, quibus ex altero in alterum locum transferri ipsi humores secreti possint, neque id in fordida lingua ex regurgitantibus ventriculi cruditatibus per oesophagum in linguam statui possit. Quot quantaque autem damna ex una hac falsa opinione manaverint, facile nec dici nec exprimi potest. Etenim, quum nihil frequentius sit in morbis, quam linguam fordibus obiectam esse, nullus quoque abusus magis est communis, quam eorum remediorum, quae in sordes gastricas agere dicuntur. Accedit huic errori alius adhuc perniciosior, febres nempe eas, quae remissionibus signantur, gastricae esse originis, alias autem protinus intendi, quae vel inflammatoriae sint vel alium servent characterem. Ubicunque itaque remittere se vident febrem medici, ubicunque linguam simul impuram; ibi pessimo sane consilio, vel resolventia exhibent, vel evacuantiâ, febremque, quae ante nequaquam gastrica fuerat, gastricam reddunt. Hinc profecto explicandum est dominium febrium gastricarum, maxime earum, quas *BALLONIUS* mesentericas dixit, quaeque pituitae colluuiem in primis viis supponunt. Prima-

riae eae saepius certe non videntur et spontaneae, sed secundariae et arte petitae.

## 9.

Accedo autem ad ipsas linguae morbosae proprietates, quae internum valent corporis statum indicare.

Pura lingua, quae vel nullis scatet fordibus, vel destituta etiam naturali illo velamento, quod e mucro paratur, generatim secretionis defectum signat, qui a variis pendere potest caussis, variumque itaque indicit internum corporis statum. Quodsi enim sordida praecefferit lingua, morbi cruditatem designans, una cum crisi solet depurari. Bono itaque indicio est lingua pura, si simul madida fuerit, si praesertim sequitur sordidum ejus statum. Ita fit in omnibus morbis, qui humorales dicuntur. Febres et catarrhales et rheumaticae et biliosae et pituitosae, initio fordibus linguae praeditae, post coctionem bonam, linguam puriorem habent adjunctam. Oportet itaque, si saluti esse debet haec linguae indoles, coctio praecefferit ejus morbi, qui, humoralis dictus, antea sordidam effecit linguam.

## 10.

Alioquin non modo non secura est pura lingua, sed anceps etiam, quin malum signum, si vel in morbis humoralibus ab initio contingit, vel praeter rationem in iis accidit, qui pro indole ipsorum, fordes habere debent linguae focias. Mala itaque lingua pura in febribus gastricis et pituitosis, mala in febribus malignis, quae humores corrumpunt ac abundantiam eorum producant, si ab initio inde adest. Summae enim cruditatis signum haec mundities praebet et ancipitem morbi exitum. Ita larvatae occurrunt febres biliosae, lingua purissima praeditae, quae tamen emeris oriuntur fordibus, aut saltem cum iis junctae sunt, cognoscendae potius ex grassantis morbi indole ex toto nota, quam ex notis individuorum morborum.

## 11.

Nonnumquam etiam spasmi accedunt ad ejusmodi morbos humorales, qui coctionem impediunt ac humorum secretionem in linguae superficie. Tunc praeter rationem pura fit lingua, simulque ex pulsu aliisque signis cognoscitur spasticus corporis status, quo et

coctio et crisis offenditur. Pura fit lingua in febre biliosa, dum metastases ingruunt, dum deferuntur humores biliosi in organa nobilia, et vel phrenitidem minitantur, vel apoplexiam, vel convulsiones. Pura fit lingua, ante fordida, in febribus variolosis, ubi pustularum maturatione impedita pejorem infert statum, ubi itaque vel regrediuntur variolae, vel malam experiuntur suppurationem.

## 12.

Pessimum ex pura lingua praesagium petendum in febribus malignis ac anomalis, quae functionum plerarumque aliarum insignia adducunt vitia, salva tamen linguae munditie. Ea enim majorem et pejoris indolis anomaliam indicat, quo significantius contradicit ceteris symptomatibus. Eundem habet haec lingua pura valorem ac urina sanorum et pulsus bonae indolis cum ceteris symptomatibus pessimis. In peste saepius id observatum est, ad exitium usque linguam purissimam manere, sicut et in convulsione cereali, ubi ex lingua nullum praesagium formari potest, cum a statu naturali aliena plane non videatur.



## 13.

Eo peior est praecognitio, quam e pura lingua formare possumus, quo magis simul siccescit, quum spasticus status, qui recludit orificia vasorum, eo magis praevaleat, atque bonam quamvis crisin impediat. Periculosi morbi testis est lingua arida, praerubra, pura et splendens, in morbis quibusvis acutis, ubi a principio inde perseverat: coctionis enim impedimenta, inflammationes occultas ac nervosi systematis affectus exitiosos praesagit. Id contingit tum in popularibus morbis, quibus inflammatorius vel spasticus status accedit, tum in colicis doloribus, qui enteritidem signant, simulac lingua praerubra, arida atque splendens adjungitur; tum etiam post capitis laesiones, quas inflammationes meningum fero interdum excipiunt, aegre dignoscendae, ni ad linguae praerubrae, purissimae, aridae indolem respicias. Periculum adhuc magis praeceps esse videtur, quoties cum pura linguae aridaque indole nulla sitis conjuncta est; anomalam is sitis defectus tunc signat ac alienationem animi. Accidit is symptomatum concursus in febribus nervosis, cum urina pallida, aquosa, cum pulsu debili, in-

termittente, frequentissimo, cum praecordiorum tensorum palpitatione, cum oculorum acie imminuta ac obtutu defixo in unum locum. Contradictio ea exarescentis linguae et sitis defectus, vel malignitatem subesse, vel anomaliam eam indicit, quae promptissime potest in malignitatem transire.

## 14.

Major siccitatis gradus in lingua asperitatem constituit, sive eam hujus organi faciem, quae papillis rigidis, crispatis, aridis juncta est, quarum interstitia magis depressa eoque velamento destituta videntur, quod naturalem linguae madorem ac lubricitatem efficit. Quanquam aspera ac scabra lingua interdum simul sordibus tenacibus, lividis vestitur; plerumque tamen pura esse solet. Id accidit praecipue in febrium ardentium insigni vehementia, ubi impetus vehementissimus sanguinis organa afficit nobilia; ubi periclitatur imprimis systema nervorum, ubi itaque et convulsiones et delirium ferox mutantur.

## 15.

Plerumque enim delirium febrile, maxime ubi atrox est ac furibundis motibus junctum, hac linguae asperitudine praenunciatur. Solet tunc pulsus simul vel intermittens, vel admodum durus esse et frequentissimus: solet in urina aquosa apparere nubecula, superficiem petens, quae divisis radiis cincta est, solet oculi alienatus aspectus. periculum adhuc significantius indicare. In febribus nervosis, hygrophobia, febribus putridis popularibus haec asperrima lingua saepenumero observatur, pessimi exitus praesagium. Ubi eadem in febribus alius generis, quae non ad nervosum characterem pertinent, accedit, vel malignitatem, vel inflammationes signat pessimas, quod in febribus biliosis, catarrhalibus et rheumaticis pessimae omnino est indolis. Sequuntur praeterea facillime convulsivi adfectus, ac deliria, quae in exitium praecipitare solent.

Quodsi inflammationis manifestae symptoma est haec scabrities, cumque morbo perseverat, coctionis indicat impedimenta, resolutionis obstacula ac pessimum per gan-

graeenam exitum. Ita quadam in peripneumonia, quae notha dicitur, senibus satis familiari non raro contingere solet. Dum enim morbi catarrhales et inflammatorii pulmonum gregatim sentiuntur, senes iis correpti, facile intermoriuntur, dum coctio omnis praepeditur, spastica totius solidorum compagis tensio accedit, ac sputa ipsa remanent. Lingua eorum tunc semper arida, pura ac scabra est, neque tamen sitis vehementia cum eo congruit: sputa penitus suppressa, urina semper vel turbida vel aquea ac tenuis est. Anxietate enormi laborant et virium prostratione, quae brevi aegros praecipitat. Trahit tamen is morbus nonnumquam aegros, dum vires quidem valent ad sustinendam vitam, nequam vero sufficiunt ad coctionem promovendam. In longum porrecta valetudo macie tandem aegros enecat.


## 16.

Alia interdum apparet linguae ficcae puraeque facies: fissa nempe. Ea hoc modo oriri mihi videtur: siccitas linguae, cum tensione tenerarum fibrarum, quae velamentum constituunt, juncta, eum nonnumquam ve-

hementiae gradum attingit, ut fibrae ipsae rumpantur, fissurasque velamentum patiat, e quibus interdum cruor profunditur. Signat haec linguae indoles vehementissimum ardoris gradum in febribus acutis, eum maxime ardorem internum, qui putridas febres praenunciare solet, ac quo coctio omnino impeditur. In initio putridarum itaque febrium, in peticulari morbo, peste, tum autem etiam in inflammationibus internorum organorum periculosis scissa observari solet lingua, quae pessimum indicat statum. Nonnumquam visa est catochum comitari aut stuporem febrilem soporosum, qui subito ortus, vel metastasin versus organa nobilia signat, vel nervosum systema vehementer adfectum. Ita ex variolis facile intermoriturus est aeger, si scissa haec et arida lingua conspicitur.

§. 17.

Iam vero praecipendum est de sordibus, quae linguae faciem obvestiunt. Efficiuntur autem muco ceterisque peregrinis humoribus, qui villis excretoriis arteriosis et glandulis


 muciparis linguae secernuntur: ideoque secretionem auctam generatim supponunt.

Sequitur inde, mucum eum, dum velamentum naturale efficit, atque papillas non penitus obscurat, naturali propiorem statum designare, etiamsi mucosa lingua inde evaderet. Saluti id praeprimis esse confuescit, ubi ficcam aridamve ac praerubram linguae faciem excipit, cum reditum virium coctricium ac salutarem ideo exitum morbi praenunciet. Contingit ea facies linguae, quae levi tantum velamento mucoso obducta est, in morbis inflammatoriis, postquam insigniter exaruit: madida deinde fit et mucosa praemunita, simul vero coctionis signa ex aliis functionibus excretionibusque desumuntur. Urina itaque, quae ante flammea erat et pellucida, jam sedimentum adipiscitur leve, nubilosum, coctum: pulsus antea praedurus, frequentissimus, ad tarditatem naturalem atque ad mollitudinem magis accedit; cutis autem arida, jam mollitur magis atque madet humoribus calidis, quibus morbus magnopere levatur. Quodsi cum his signis comitantibus lingua madida fit et mucosa, optime finiri potest inflammatio vulgaris.

18,

Satis trita est atque familiaris linguae mucosa superficies in quibusvis morbis humoralibus, ubi vel a primordio morbi inde adest, vel ad coctionis tempus accedit. Catarrhales, gastrici plerique, rheumatici, ipsique nervosi morbi mucosam linguam vestiente junguntur, qui perperam habetur morborum gastricorum nota peculiaris. Quemadmodum nihil magis a veritate alienum est, ita insignia quoque ex hoc errore fluunt incommoda curationis, siquidem medicus huic opinioni adhaerens, simulac vestimentum linguae mucosum observat, ea ordinare solet, quae vel resolvere suppositas sordes vel egerere easdem possunt, eoque modo nonnunquam gastricos procreat morbos, qui ante non aderant. Simili plane modo fallitur is, qui mucosam linguam faciem in progressu morbi nervosi aut inflammatorii aut cujusvis alius generis signum credit gastricae saburrae aut indicans arbitratur ad evacuationes. Quemadmodum enim in quovis acuto morbo secretiones augentur, dum coctioni propius accedit, ita etiam linguae facies ea mucosae colluvie saepius vestitur, quae et in sedimento urinae et in aliis

excretis humoribus observatur. Haudquam vero inde desumenda est ratio, cui antigastrica commendanda sit methodus. Vifus enim est saepius optimus morbi exitus, dummodo, neglecto spurio indicante ex hoc vestimento petito, ad curationis rectam rationem progredieremur. Ita lingua immunda, mucosa, quae ad peripneumoniam, ob pulmonum consensum cum ventriculo, cum aliis fordium gastricarum signis accedit, evanescit, dummodo antiphlogisticam curationem ac ea remedia, quae contra inflammationem militant, rite adhibentur.

## 19.

Is mucus, e villis excretoriis ac glandulis muciferis excretus, ad aëris contactum autem coactus, differre solet tum tenacitate et spissitudine, tum etiam cohaerentia, tum denique coloribus, qui quidem a peregrinis partibus ei admistis pendere videntur.

Tenuis mucus, qui modo vernicis forma linguam obducit, plerumque malum format praesagium, maxime vero in iis morbis, qui orgasmum sanguinis vehementem producant. Is praetenuis humor, versicolor



saepius, adeo obducere solet linguae faciem, ut naturalis ejus indoles haudquaquam appareat. Observatus est is tenuissimus mucus praecipue in morbis putridis, atque quidem in eorum principio, ubi impetus sanguinis in universi corporis vasa insignis cum volumine ejus aucto iungitur. In scorbuto id quidem non raro accidit.

## 20.

Alia tenuis mucii linguam obvestientis indoles ea est, ut interstitia tantum papillarum mucosae oblecta sint, papillae vero purae appareant et rubrae. Id quidem contingit secretionem auctam in villis excretoriis, qui papillas interiacent, impedita vero in papillis ipsis. Quod ubi in corpore accidit ceteroquin bene valente, nil signat nisi secretionem humorum mucosorum auctam et in aliis organis, et praecipue in ventriculo. Hinc etiam succorum intestinalium abundans secretio et lotii sedimentum mucosum cum ejusmodi mucosae linguae vestimento conjuncti esse solent: atque, quum jure inde ad humorum reliquorum indolem argumentari possimus, eorum medicorum confirmatur sententia: Γλωσσο

ὄψρον σημαίνει, et Γλῶσσα ὁμόχρους τῆσι προσ-  
 τασσει i. e. linguam humorum seroformum in-  
 dolem significare et concolorem esse praestanti-  
 bus aut praedominantibus humoribus 4).

## 21.

Villosa haec lingua plerumque in iis ho-  
 minibus cernitur, qui satis firma quidem non  
 fruuntur valetudine, sed fastibus laborant mu-  
 cosis in venae portarum systemate, in infanti-  
 bus, qui verminosos pati adfectus creduntur,  
 quamvis mere sit humorum pituitosorum in  
 abdominis organis abundantia accusanda.  
 Scrofulosi fere semper villosam ostendunt lin-  
 guam: continuum est symptoma febris me-  
 fentericae, arthritidis et morbi haemorrhoi-  
 dalis. Quodsi vero in aliis morbis occurrit,  
 ubi neque pituitae abundantia in abdomine,  
 neque stases abdominales accusandae sunt,  
 signare solet diuturnitatem morborum, prae-  
 fertim cum iis immoratur. Ea enim laxitas  
 organorum secernentium, anomala, et pitui-  
 tae secretio modo in his modo in illis organis,  
 testis est insignis virium vel labefactarum vel

4) HIPPOCR. epidem. lib. VI. 5. p. 1185. FOES.

coquendi vim non habentium. Suspecta itaque est linguae villosa indoles in febribus intermittentibus puris, quae cum nullis manifestis stasibus abdominalibus junctae sunt, ubi vel morbos secundarios, hydropem, icterum, placentas febriles, vel nimis longam morbi moram designat.

## 22.

Quae villosa lingua si praeter rationem in morbis occurrit inflammatoriis, si praesertim a principio inde apparuit, suspecta est, et malum inflammationis exitum portendit. Siquidem congrua esse solet linguae siccitas, tensaque ariditas cum cruditate inflammatoria, cum tensione fibrarum solidarum in toto corpore: quum itaque in ejusmodi tenso statu fibrarum lingua potius madida est ac muco villoso vestita, valetudo vel trahit aegrum vel etiam secundarios relinquit morbos. Nonnunquam observata est ea villosa lingua in pulmonum inflammationibus, quae vel a catarrho vel a pituitosa colluvie primarum viarum orientur, quae quidem species hujus inflammationis diuturnam plerumque moram habere consuecunt.

Nimis spissum mucii velamentum, quod linguae faciem obducit, eodem modo nocet, ac similes malos portendit exitus quam villosa lingua. Quo spissior est mucus ac quo magis albidum adipiscitur colorem, eo crudiores oportet esse humores, eo majorem organorum secernentium laxitatem et atoniam, eo minorem itaque coquendi vim. Dicitur haec linguae indoles lardacea, quum omnino speciem adipis aut lardi prae se ferat. Animadversa est tum in morbis diuturnis, qui pituitosa colluvie juncti laxitatem simul solidorum secum adferunt, quae diuturnitatis causa est. In arthriticis adfectibus signat atonicum statum, quo articulorum dolores et tumores impediuntur, molestiae autem variae oriuntur, quae ex infirmitate et spasticis adfectibus ventriculi aut pulmonum originem petunt. Cardialgia, asthma arthriticum, quod anginae pectoris nomine venit, aliique id genus adfectus lardacea hac lingua juncti sunt, ex qua ad atoniam et laxitatem argumenta omnino valent. In variis praeterea cachexiis observare est eandem linguae indolem, e. g. in lue venerea et lepra, ubi quoque atonicum om-

nium partium flatum ac mucosam colluviem licet inde conjectare.

Pessimum autem ex lardaceo linguae velamento praefagium formandum in cujusvis generis febribus acutis et intermittentibus. Saepius in praecipiti sunt aegri, ubi hanc monstrant linguam, si maxime contrarius est atonicus status decursui vulgari morbi. Ita in morbis acutis nervosis, in inflammationibus, maxime noxia est lingua lardacea, quae vel diuturnitatem pervicacem vel malum ex virium defectu exitum portendere solet. Popularium morborum, qui Neapoli grassabantur, a SARCONIO egregie descriptorum nota peculiaris erat, quod a principio inde lingua velut lardo erat obducta. Protinus ac haec apparet, vel soporosus sequebatur status, vel stupor vel alia labefactarum virium symptomata.

## 24.

Accedo ad cohaerentiam ejus mucii, qui linguam vestire solet. Differt autem ea, pro majore minoreve lymphae coagulabilis aut materiei albuminosae, quam mucosus continet, copia, proque breviori mora longioreve ejus

ad aëris contactum. Laxior ejus mucî compages, quae sine negotio a linguae faciè separatur ac quovis linguae motu fatiscit, intimam supponit serosorum humorum cum mucosâ mîsionem, coctionemque praegressam, aut aequalem copiam laticis secreti. Firmior vero tenaciorque mucî compages, qua lingua obducitur, vel ab infirmitate vasorum fecerentium pendet, quae vi parandi, mutandi coquendique humores destituta sunt, vel ab ea materiei albuminosae copia, quae praeparationem ac coctionem non permittit. Mucus linguae, ante tenax, jam vero adeo laxus, ut quovis motu fatiscat, in morbis humoralibus signat coctionem, si alia accesserint ejus signa in lotio, cute et pulsu. Quodsi autem tenacitas ejus mucosi velamenti in longum porrigitur atque per majorem morae morbi partem perseverat, nihil boni inde expectandum esse videtur, siquidem coctione praepedita, vel trahitur aeger vel praecipitatur, dum vires penitus labefactantur. Tenax is mucus linguae, saepius cum lardacea spissitudine junctus, arthriticis adfectibus pertinacibus, diuturnis febribus intermittentibus, haemorrhoidali morbo mucoso, feбри mesentericae, hypo-

hondriaco et hystérico malo fatís familiaris, quodque perseverat, bonam coctionem et salutiferum morbi exitum praepedit.

## 25.

Cum his indiciis jungenda signa, quae ex coloribus sordium linguam obducentium desumuntur. Γλώσσα γὰρ ὀμύχρους τῆσι προσησσει, congruit is color cum colore humorum praedominantium, ideoque coctionis aut cruditatis morborum indicia optimo consilio ex hoc colore petuntur.

Candidus primum color pendet plerumque a mucí tenacis copia, qui materiem continet albuminosam, impotentiam supponit vi-rium coctioni praefectarum et transitum haud mutati mucí per organa secretoria. Qui color si in morborum humoralium principio obtinet, brevique tempore mutatur, ἀδιάφορον esse solet, neque aliud quid indicat quam secretorum humorum cruditatem, quae autem accedentibus viribus ordinate agentibus, mox in coctionis statum transire solet. Ita in gastricis febribus quibusvis contingit. Quod si autem albidus mucosi vestimenti color morbo immoratur, cruditatem quoque persistentem

ac morbi diurnitatem nunciare solet. Albidus ubique manet color in arthriticis adfectibus, qui, labantibus viribus, viscera potius quam artus corripunt: albidus et tenax esse solet in aliis morbis, qui a colluvie oriuntur pituitosa, velut in peripneumonia pituitosa, ubi, testibus Cois medicis, id potissimum latus, quod affecto pulmoni respondet, mucosus eo albido atque tenaci obductum esse solet. Albidus color mucosae linguae vestientis cataractum inveteratum comitans signat transitum ejus in morbos pulmonales.

## 26.

Flavidus color ex albido ortus, morborum gastricorum, praesertim biliosorum notat coctionem securam et crisin instantem. Levior proximis aliis morbis is est, in quo non multis a principio diebus albidus et tenax mucus laxus fit et flavidum colorem adipiscitur. Quodsi id quarto die contingit, cum sedimento lotii congruo atque pulsu magis regulari molliorque, optima crisis est expectanda. Flavidus is color, ab admixtis partibus bilem constituentibus ortus intimam supponit mixturem humorum ac virium fecer-



nentium bene valentem facultatem. Occurrit is quoque in aliis morbis, qui a colluvie biliosa pendent, et quidem a principio inde eorum, ubi speciem eandem notare consuefcit. Ideoque optime diagnofin inflammatorum biliofarum ex hac linguae facie formare poffumus, quae alioquin faepe ardui omnino negotii res eft.

In morbis vero, qui a fordibus biliofis non oriuntur, neque cum iis peculiariter juncti funt, polycholiam fignat flavida lingua, quae vel in icterum vel in putredinem abitura eft. Illud contingit critico faepius conamine, hoc vero ni perniciem, ancipitem faltem flatum portendit. Croceo itaque interdum colore tingitur lingua in morbis malignis, qui putredini favent, ubi et alia fymptomata malum morbi exitum praenunciare videntur.

## 27.

Lividus aut bruneus color fordium linguam obducentium faepius cum afperitudine junctus, peregrinae materiei copiam mucosae admiftae ac corruptionem humorum incipientem designat. Obfervamus eum in febris

putridis et malignis cum brunea urina, cum sudoribus colliquativis, cum pulsu depresso, frequentissimo et praeduro, cum spasticis motibus levioribus et debilitate corporis insigni. In statu verò chronico hic color saepenumero morbos pertinaces comitatur, qui infarctus excipiunt abdominales, adest itaque in ictero chronico, in haemorrhoidali morbo, in scirrhis viscerum abdominalium, ubi pervicaciam morborum eorum praefagit.

## 28.

Quod denique atrum linguae colorem complectitur, corruptionem is humorum fecretorum ac impotentiam vasorum fecernentium indicat. Malum itaque signum in quibusvis casibus, dumne longa mora sordes aëri expositae hunc receperint colorem, ubi haud adeo malus inde status efficitur. Ceteroquin in febribus acutis eo perniciosior exitus expectandus, quo plura sese huic colori linguae adiungunt symptomata prostratarum virium, quo citius is in ipso morbi primordio apparet. Qui diuturno autem exercentur morbo, nequaquam semper in praecipiti sunt, ut hic color

lor exferitur, sed stases solummodo refractariae, atrabiliariae abdominales, resolvi nesciae eo designantur.

## 29.

Quod superest iis, quae de foribus linguae praecepimus, locus quem occupant, momenti aliquid habet. Etenim vel universam obducunt linguam, ubi aequale inde ac universale secretionum augmentum elucet, vel partem quandam.

De partiali autem linguae tegumine id monendum, ubi id solam radicem obducit, apice libero, ad tritissimos et maxime vulgares morborum humoralium casus id pertinere, et plerumque laxitatem supponere fordium auctam, tenacitatem autem imminutam. Motus enim linguae vulgares ejusmodi sunt, ut defricent maxime apicem linguae, radicem vero haud ita adficient, ut itaque sordes ibi diutius haerere possint.

Aliud autem partiale linguae tegumen id est, quod *σινγοῦν* Coi medici vocant, ubi alterum duntaxat latus linguae eo obductum est. Solutionem quidem incipientem id

signat, sed impeditam tamen, nec facile per-  
ficiendam. In morbis chronicis potius, qui  
a fordibus gastricis oriuntur, id tegumen  
*διηροῦν* videmus, quam in acutis. Quodsi in  
his provenit, minus tuta inde solutio morbi  
expectatur, in illis vero pertinacissima metui-  
tur diuturnitas.

## 30.

Ultimo loco ad volumen linguae atque  
ad motum ejus consilium transferamus.  
Quamvis linguae volumen haudquaquam eas  
admittat vicissitudines, quas in aliis corporis  
artibus absque negotio observari licet;  
auctam id tamen nimis plerumque signat ve-  
hementem humorum congestionem versus su-  
periora, maxime si rigida simul est et tumens  
lingua. Pessimo omine haec accidit in angi-  
na, ubi glossitis accedens periculum eo majus  
indicit, quo citius extumida lingua iterum  
concidit. Tumens quoque cum rigore lingua  
in morbis acutis aliis phrenitidem praenunci-  
are et convulsiones universum corpus corri-  
pientes confuecit, maxime dum balbuties  
simul adiungitur.

Volumen autem linguae nimis imminutum plerumque a spasmodis producitur, qui contrahunt eam ut in fauces fere redeat. Ea quidem contractio in hysteriis atque hypochondriacis paroxyfinis non raro accedit, eodemque modo, levi aliquo medicamento exhibito transit, ac gulae contractio spastica, quae globi hysterici nomine nota est, in morbis vero acutis inde pessimus morbi exitus metuendus, aut ea ejus mutatio, qua nervorum systema vehementer correptum perniciem minuitur.

## 31.

Motus linguae vel plane abolitus est, vel tremulus et nimis concitatus, ut et voluntati non obtemperet. Suppressus linguae motus vel rigiditatem supponit spasticam, quae dolores atroces atque affectus nervosos comitatur, vel paralyticam resolutionem, qualis in senibus apoplexiam nonnunquam excipit, alioquin vero miram systematis nervosi animi pathematibus effectam concussionem aut verminosum statum.

---


Tremula autem celeritas motus linguae, quae voluntati non obedit, vel impetum signat vehementem humorum versus superiora vel debilitatem insignem, quae malum portendit eventum. Criticum subinde vomitum aut criticam epistaxin praegreditur tremor, ubi cum aliis coctionis et instantis criseos signis junctus est: simulac vero accesserint symptomata debilitatis et prostratarum virium, notatur is status pessimo omine.

---

1078

PICA







DE 14  
SIGNIS MORBORUM,  
QUAE  
EX LINGVAE HABITU  
PETUNTUR,

CON

SO

GRA

JOA

